



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

2 Quomodo poßit forma substantialis fieri in materia, & ex materia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)



ma rationali quantum ad effectiorem eius: aliis enim formis ex modo quo fiunt, non repugnat fieri ab agentibus creatis, cum fiant cum concursu materiae, ut statim explicabimus. An vero in talibus agentibus sit sufficiens virtus, dicemus tractando de causa efficien: e.

XVIII.  
Præcipuum  
index for-  
mæ finis ip-  
sum est.

Igitur præcipua ratio sumenda est ex fine formæ substantialis, qui est constituere & comple e essentiam entis naturalis, qui finis seu effectus est absolute necessarius in rerum natura: alioqui nihil esset in rebus corporeis in sua substantiali natura completum, & perfectum: neque esset multitudo & varietas specierum substantialium, in qua maxime consistit huius universi corporei mirabilis dispositio, & pulchritudo. Ad hunc ergo finem est omnino necessaria substantialis forma, quia cum materia sit valde imperfectum ens, non potest in illa sola consistere integra universi cuiusque rei essentia. Deinde, quia materia quatenus est primum subiectum, est una & eadem in omnibus rebus naturalibus: ergo non potest in sola illa consistere earum essentia, alioqui omnia essent unius essentia, solumque accidentaliter differrent: quod repugnat amplitudini, & pulchritudini totius universi, quæ ex specierum varietate maxime confurgit. Quod significari videtur Genes. in illis verbis: *Facientem semen iuxta genus suum, vel, secundum speciem suam.* Et sæpe fit illa repetitio iuxta species suas, & in genere suo, & tandem concluditur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* quia nimirum totius universi completa bonitas ex illa varietate confurgit. Quam etiam variæ rerum virtutes & operationes, & mutæ generationes & corruptiones satis ostendunt, ut declaratum est. Aliquid ergo præter materiam est ipsi addendum, quo essentia universi cuiusque rei compleatur: cum autem materia sit potentia, id quod ei additur ad complendam essentiam erit actus, quia potentia dicitur essentialem ordinem ad actum.

XIX.

Non potest autem ille actus qui ad complendam rei essentiam adiungitur materiæ, esse actus accidentalis. Primum quidem quia ex actu & potentia diversorum ordinum non completur essentia vere ac per se una: essentia autem rei naturalis & substantialis esse debet vere ac per se una: aliàs non esset una substantia. Secundo quia cum materia sit substantialis potentia, non expletur per actum accidentalem: ergo cum illo non potest complere veram essentia rei naturalis. Tertio quia si talis actus est accidentalis, interrogo cuiusmodi accidat. Aut enim accedit composito ex illo actu & potentia, ut tale est: & hoc repugnat, quia cum compositum illud intrinsece consistat ex tali forma, non potest ei accedere: quomodo etiam albedo non est accidens albi, ut album est, sed subiecti albi. Aut accedit materiæ seu subiecto substantiali, & sic interrogo rursus cur dicatur ei accedere? Vel enim quia potest materia esse cum tali actu, & etiam sine illo. Et hoc non est satis, aliàs etiam anima rationalis esset accidens corporis: hoc ergo commune esse potest tam substantiali actui, quam accidentali. Vel est, quia talis forma pendet à materia in suo esse: & hoc etiam non est satis, quia etiam partes substantiæ possunt pendere ab aliis partibus: & materia ipsa pendet suo modo à forma: sunt itaque varij modi dependentiæ, & non repugnat incompletæ alicui substantiæ quod pendeat à subiecto eiusdem ordinis. Vel denique dicitur accidens, quia in suo esse habet entitatem ita imperfectam, & diminutam, ut sit inferioris ordinis quam tota latitudo substantiæ. Et hoc in primis est gratis & sine fundamento dictum: unde enim constat illum actum materiæ, ad quem ipsa per se primo ordinatur, quicquid cum ipsa complet essentiam rei naturalis, esse tam diminutam, & incompletam entitatem? Deinde repugnat fini talis formæ, quia, ut dixi non potest ex subiecto substantiali, & forma accidentali, componi una essentia substantialis, maxime cum forma sit quæ dat ultimum

gradum, & complementum essentia. Propter quod merito dixit Aristoteles. *Physicorum ca. 6. substantiam non componi ex non substantiis:* constat autem res naturales, earumque essentias substantiales esse, ac per se una: est ergo certissimum dogma philosophicum de substantialibus formis.

#### Soluntur argumenta.

Ex rationibus dubitandi in principio positis, duæ primæ ex dictis solutæ relinquuntur. Ad primam enim negatur deesse in rebus naturalibus sufficientia indicia & effectus, per quos sufficienter deueniri possit in cognitionem formarum substantialium, negaturque subinde aut actiones omnes, aut transformationes saluari posse sine formis substantialibus. Ad secundam negatur repugnare, quod aliqua forma sit subsistens & informans, vel in diversis statibus, vel etiam in eodem, ut latius declarabimus infra tractando de subsistentia. Negatur etiam, repugnare esse formam dependentem à subiecto, & esse substantialem, ut paulo ante dictum est: quomodo autem differat hæc dependentia ab inhzrentia accidentis, dicemus disput. sequenti. In tertio vero argumento petitur specialis difficultas, quam oportet sequenti sectione tractare.

#### SECTIO II.

##### Quomodo possit forma substantialis fieri in materia, & ex materia.

**R**atio dubitandi tacta est in præcedenti sectione: nam forma substantialis est res distincta à materia, vel ergo illa res est aliquid ante generationem, vel nihil: si est aliquid, ergo est forma substantialis antequam fiat, nam illa res est indivisibilis, & essentialiter est forma substantialis: non ergo potest illa res esse aliquid ante generationem, quin sit substantialis forma: hoc autem est impossibile, cum quia aliàs nulla esset substantialis generatio, cum etiam quia aliàs esset simul in materia, formæ repugnantes. Si vero eligatur altera pars, nimirum formam ante generationem nihil esse, sequitur formam ex nihilo fieri; quod repugnat Philosophorum axiomati, *Ex nihilo nihil fit.* Nec satisfacit qui responderit, formam non fieri, sed compositum: compositum autem fieri ex materia, & ideo nihil esse quod ex nihilo fiat: hoc (inquam) non satisfacit, quia magis consistit in verbis, & modo loquendi, quam in re: nam forma re vera antea non erat, & postea est: ergo facta est. Item, quia compositum non fit nisi quatenus ex materia & forma componitur, non autem componitur nisi ex entibus factis. Item, quia cum totum corrumpitur, forma vere definit esse, transigit in nihilum, nam quæ antea erat aliquid, postea est nihil, ergo cum totum incipit esse, forma etiam fit.

Propter hanc difficultatem antiqui Philosophi negarunt formas substantiales: & omnia fieri per solam accidentium mutationem existimarunt. Quorum sententia improbata iam est ex demonstratione substantialis formæ, & generationis ac corruptionis, nunc vero addimus eos non soluisse difficultatem, negando substantiales formas, nisi etiam accidentales negent, quæ vere & realiter de nouo fiant, & consequenter dicant nullam esse in rebus mutationem nisi fortasse localem, sed videri res transmutari, quia quæ apparebant, occultantur, & quæ occultæ erant, apparent; quod quam sit absurdum, perspicuum est. Assumptum patet, quia de forma accidentali potest eadem difficultas obici, nam etiam illa forma cum est, habet suam realitatem, & entitatem. Aut ergo illa antequam fiat, erat aliquid, vel nihil: si aliquid, ergo non



non sit: si nihil, ergo sit ex nihilo. Vnde Anaxagoras, ut supra vidimus, omnes formas rerum concedat actu esse in atomis, ex quarum concursu vario omnia componebat: sed illud placitum satis est in superioribus refutatum.

Prima opinio proponitur, & variis modis explicatur.

III. Omnis ergo antiquis Philosophis, inter posteriores sunt de hac re variae sententiae. Prima est, omnes formas actu esse in materia, non quidem integras & perfectas, quia vident hoc è medio tollere veram rerum generationem & corruptionem, & involuere manifestam repugnantiam, cum formae ipsae inter se pugnant sint, & cum eadem ratio sit de accidentalibus, quae interdum sunt proprie contrariae. Sed dicunt esse formas actu in materia secundum quasdam inchoationes earum. Hanc opinionem in Soto, i. Physicorum quaestione septima, tribuit Alberto ibidem tractatu 3. capite 3. Soncinas vero 7. Metaphysicae, quaestione 28. negat Albertum esse huius sententiae. Et reuera Albertus solum ait in materia quae est subiectum formarum, esse habitum confusum earundem formarum: hunc autem habitum declarat nil esse aliud quam potentiam habituales, qua materia claudit in se formas: significat autem illum habitum confusum esse aliquid distinctum à natura materiae, ratione cuius forma dicitur praexistere in materia. Nec intendo (inquit) dicere, quod forma pars sit ab intus, & pars ab extra, sed tota est ab intus, & tota est ab extra. Quod declarans significat formam esse ab intus, id est praexistere in materia secundum esse essentiae, & ideo ait, agens non agere ad producendam essentiam formae, sed ad esse formae, & hoc sensu dixerat formam totam esse ab extra, id est fieri ab efficienti quantum ad esse existentiae. Quae omnia licet obscurissime dicta sint, possunt ad rectum sensum trahi, si per esse essentiae solum intelligamus esse in potentia, quod non fit ab agente naturali, sed supponitur in materia. Vnde idem Albertus 7. Metaphysicae tract. 2. cap. 12. ait totam formam esse ab intra secundum esse potentiale, & ab extra, secundum esse actuale in 8. etiam Physic. capit. 4. potentiam ad formam vocat inchoationem formae. Recte igitur per illum habitum confusum intelligimus ipsam potentialitatem materiae quam ipsemet Albertus vocat habituales potentiam. Solum videtur distinguere potentiam materiae à materia, quod ad aliam quaestionem supra tractatam spectat: & posset satis probabiliter exponi distinctione rationis, & non rei, nam ibidem eodem modo distinguit in genere naturam generis à potentia qua differentias continet.

IV. Alia sententia refertur à Durando in 2. distinct. 18. quaestione 2. quae ponebat in materia quasdam possibilitates formarum, quae non manent quando producantur formae, sed in eas conuertuntur: atque ita saluabat non fieri formas ex nihilo, sed ex illis possibilitatibus. Non refert autem Durandus aliquem authorem huius sententiae, & ideo non possumus sensum illius certo affirmare, vix tamen credi potest illos auctores per eam possibilitatem intellexisse rem aliquam veram distinctam à materia & à forma, sed solum essentiam formae possibilem, quam alij vocant, in potentia obiectiva: quanquam si hoc tantum voluit hae opinio, nihil peculiare attulit quo explicaret formam non creari: nam etiam res quae creantur, sunt ex huiusmodi possibilitate. Refert tandem Soto aliam opinionem Aureoli 2. distinct. 18. quod forma potest in materia secundum partem ex qua perficitur per actionem agentis, & ideo non fit ex nihilo: eam vero opinionem nec Capreolus refert ex Aureolo, neque apud alium authorem inuenire potui.

Quocunque igitur sensu asseratur, praecedere in materia rem aliquam distinctam ab ipsa materia, ut ex illa producat formam, est improbabilis, nihilque deseruit ad enodandam difficultatem in qua veriamur. Primum patet, quia intelligi non potest quae sit, vel qualis illa entitas, quia vel est substantia, vel accidens: hoc posterius non dicitur ab illis authoribus, nec dici potest, tum quia accidens non est intrinseca inchoatio formae substantialis, sed ad summum esse potest dispositio: tum etiam quia propter accidens praexistens non vitatur, quin tota realitas formae fiat ex nihilo ipsius, quia accidens non est aliquid ipsius formae. Si vero dicatur secundum, inquireretur rursus an illa substantia sit materia, vel forma, vel compositum: non potest esse compositum, ut per se notum est: non materia, quia supponitur esse res distincta ab illa, nec forma, quia hae incipit esse per generationem. Dicitur fortasse esse formam in esse imperfecto. Sed contra hoc videtur ulterius supponendo esse sermonem de esse actuali, quo res est vera entitas actualis extra causas suas: nam esset valde friuolum loqui de esse possibili tantum: quia secundum illud esse non ponitur in materia aliqua vera res distincta ab illa, quae sit extra nihil, & sit forma in esse imperfecto.

Loquendo igitur de huiusmodi re habente verum esse actuale licet imperfectum, inquiri quomodo ex illa re fiat forma in esse perfecto, an per intentionem, an per transmutationem vnius in aliud. Nec praeter hos modos potest alius excogitari namque priori modo manet prior entitas, quae erat imperfecta remota imperfectione per aliquid quod ei superadditur: in posteriori autem modo tollitur illa imperfecta entitas, & ei succedit perfecta, siue per conuersionem vnius in aliam, siue quacunque alia ratione: includunt ergo illi duo modi immediatam contradictionem: vnde non potest excogitari alius qui ad alterum eorum non reducat. Primus autem modus nullam habet verisimilitudinem. Primum quia forma substantialis non est intensibilis & remissibilis, ut infra ostendam. Secundum, quia alias praexistenter actu in materia omnes formae substantiales, quae ex illa educi possunt, in gradu quidè remisso, tamen secundum aliquam veram & actualem entitatem, & ita essent simul in materia infinitae entitates actuales: nam formae in infinitum multiplicari possunt. Hoc autem est plane absurdum tum propter infinitatem entitatum, tum etiam quia materia ex se non habet congenitas huiusmodi formas quasi dimanantes à propria entitate, neque est aliquid agens à quo factae sint: neque sunt ipsi materiae debite, ut fingamus Deum illas infudisse, aut concreauisse. Tertiò, quia etiam positis illis imperfectis entitatibus restat eadem difficultas, quo modo fiat ille gradus, vel pars entitatis quae additur praecedenti, quia omnino incipit esse, cum antea nihil esset: nam in formis quae intenduntur, secundus gradus non fit proprie ex primo, nisi fortasse ut ex termino à quo: quomodo potius fit posterior gradus ex remissione, vel limitatione prioris quae est priuatio vterioris gradus, quam ex ipsamet entitate positiua prioris gradus: ergo quod vnus gradus supponatur, non tollit quin secundus antea sit nihil, donec per actionem agentis recipiat esse: ergo de illo gradu restat eadem difficultas quomodo non fiat ex nihilo. Tandem iuxta illam sententiam tollitur vera generatio, & corruptio substantialis, quia solum erit quaedam intentio vel remissio formarum.

Nec desunt rationes aequae efficaces contra posteriorem modum: primo enim ex illo sequitur supponi in materia infinitas entitates: nec enim potest fingi vna & eadem quae sit inchoatio omnium formarum: nam si quando fit vna forma, tollitur & destruitur inchoatio eius manentibus aliis, & ita in omnibus vicissim & mutuo fieri potest, necesse est omnes

De d 4 illas



illas entitates esse inter se distinctas. Secundo, quia si forma perfecta fit ex inchoata per transmutationem, vel conuersionem: ergo tantum fit vna ex alia tanquam ex termino à quo: ergo fit tota entitas formæ, quæ antea nihil erat actu: nam propter præexistentem inchoationem non potest dici actu præfuisse, cum sint res distinctæ, quarum vna perit, quando alia incipit, ergo impertinens est illa entitas imperfecta vt forma non fiat ex nihilo, nam etiam illa inchoatio non est aliquid, id est aliqua pars, vel aliquis gradus eius formæ quæ fit. Quod si habitudo ad terminum à quo positum, est necessaria, vel sufficit vt res non fiat ex nihilo, etiam ad hoc non est necessaria illa inchoatio, quia sufficit forma contraria seu repugnans, quæ semper expellitur, quando alia introducit, quia generatio vnius est corruptio alterius. Tertio inquiri potest, an illa entitas imperfecta quæ abiicitur, & forma perfecta quæ introducit, sint eiusdem speciei essentialis, vel distinctæ. Nam si sunt distinctæ, ergo vnaquæque est perfecta in sua specie, & si vna abiicit aliam, erunt inter se repugnantes, ergo ponere illas inchoationes, nihil aliud est quàm multiplicare formas in materia sine utilitate, nam vt vna forma fiat ex termino repugnante, sufficit vna forma contraria, vel impossibilis, quæ semper supponitur. Si vero illæ entitates sunt eiusdem speciei, nulla potest reddi ratio cur vna abiiciat aliam, aut cur vna fiat in subiecto, in quo actu præexistebat alia.

VIII. Sed obiicit Aristotelem 7. Metaphys. text. 29. dicentem in materia esse aliquam partem rei faciendæ: & constituentem in hoc differentiam inter artificialia, & naturalia, quod in artificialibus solum supponitur materia apta obedire artifici: in naturalibus vero est in materia aliquid formæ introducendæ. Et confirmatur, quia alias non magis esset naturalis generatio substantiæ completæ quam effectio rei artificialis in sua materia. Respondetur, Aristotelem ipsam aptitudinem materiæ ad formam, vocare partem rei efficiendæ. Ita exponunt Diuus Thomas, & Alexander Avenis, & posset intelligi de parte non ipsius formæ, sed totius compositi. Proprius vero sensus est, Aristotelem non vocare partem, ipsam materiam, sed virtutem aliquam actiuam quæ interdum est coniuncta materiæ, & cooperatur ad rei generationem, vel effectiorem. Dubitat enim ibi Aristoteles, cur ea quæ ab arte sunt, interdum fiant etiam casu, & absque arte vt sanitas, interdum vero non contingat fieri sine arte, vt domus: & responderationem esse, quia interdum in materia ex qua vel circa quam ars operatur, præcedit aliqua pars, quæ potest esse principium mouendi seu operandi circa illam materiā, vt in sanitate præcedit calor animalis, quem contingit aliunde excitari aut innuari præter artem: atque ita sine illa & casu quodam efficere sanitatem. Aliquando vero in materia artis nulla est pars actiua, vt in lapidibus, & lignis, & ideo non potest ex eis effici domus sine arte. Non loquitur ergo Aristoteles de inchoatione formarum, vt recte notarunt Diuus Thomas, & Scotus, sed de virtute quæ interdum est in materia ad inchoandum actionem. Et hanc etiam expositionem tradiderunt Commentator, & Alexander Aphrod. Vnde falsum est, & omnino præter literam Aristotelis, quod ibi constituitur differentia inter artificialia, & naturalia: tantum enim constituitur inter artificialia inter se, & potius ibi text. 31. significat Aristoteles, idem contingere in naturalibus, vt Diuus Thomas notauit: nam interdum passum ex quo generatur res naturalis, est in sola potentia passiva, & tunc non potest ex illo generari aliquid nisi ab extrinseco agente naturali; interdum vero habet adiunctam virtutem seminalem actiuam, quæ est quasi pars eius, vt patet in femine, aut in grano tritici, & tunc contingit fieri effectum absque alio extrinseco agente. Ad confir-

Quam differentiam inter artificialem materiam & naturalem materiam posuerunt.

mationem respondetur, generationem esse naturalem ex parte potentie passivæ naturalis, & consequenter etiam ex parte potentie actiue naturalis, quæ passiuè responderet artificialia vero vt sic non tam esse potentiam passiuam naturalem, quam obedientialem, cui non responderet potentia actiua naturalis, seu rationalis seu idealis, quod paulò inferius declarabimus.

#### Non omnes formæ substantiales creantur.

Secunda sententia fuit aliorum, qui superati difficultate tacta, dixerunt omnes formas substantiales fieri per creationem. Quam opinionem refert Albertus in 2. d. 18. articulo 12. & aliqui eam tribuunt Platoni in Phaedone, eo quod dixerit formas induci in materiam ab ideis separatis, & Auicennæ 1. sufficient. capit. 10. & 9. suæ Metaph. cap. 4. qui dixit eadem formas induci ab intelligentia separata, quam decimam post nouem quæ præfunt nouem corporibus celestibus, esse dicebat, & præesse mundo sublunari. Sed hi duo Philosophi, licet fortasse errauerint circa principium effectuum substantialium formarum (de quo postea circa efficientem causam dicturi sumus) tamen quod errauerint circa modum efficiendi has formas, non constat, neque Aristoteles hoc titulo Platonem impugnatur, sed quod separatas ideas sine causa introduxerit, cum huiusmodi res possint à sibi similibus generari. Quæ ratio magis virget contra Auicennam, nam Plato fortasse non posuit ideas extra mentem diuinam, & ab illis dixit introduci formas vt ab vniuersali principio, quod agentia proxima non excludit: Auicenna vero errauit quidem tribuens intelligentiis superioribus creationem inferiorum, & infimæ introductionem formarum substantialium: non tamen cõstat ipsam dixisse omnes inferiores formas fieri per creationem. Vnde Soncin. 7. Metaphys. quæst. 29. arbitrat, eius opinionem probabiliter posse defendi: de quo dicemus loco citato de causa efficiente, & iterum inferius tractando de intelligentiis creatis. Cuiuscumque vero fuerit illa opinio, vniuersaliter intellecta improbabilis est: de anima namque rationali, vera est catholica: de aliis vero est falsa, quia alias omnes formæ substantiales essent subsistentes, & independentes à materia in fieri, & consequenter etiam in esse, quod est absurdissimum: alias omnes animæ brutorum essent immortales. Sequela patet, quia creatio & est rerum subsistentium, & non pendet à materiali causa, vt infra dicemus. Secundo virget contra hanc opinionem ratio supra insinuada, quia si formæ substantiales creantur propter dictam causam, etiam accidentales creari necesse est, quia etiam forma accidentalis fit ex nihilo sui, & non præexistit actu in subiecto, neque secundum se totam, neque secundum partem. Quod si hoc concedatur, sequitur ulterius, quod sicut introductio formarum substantialium ob eam causam non est ab agentibus naturalibus, ita neque effectio accidentalium. Atque ita tandem sequitur, agentia naturalia nihil omnino agere: quod absurdissimum esse infra ostendemus.

#### Resolutio questionis.

Vera igitur, & Peripatetica sententia est inter formas substantiales quasdam esse spirituales, & substantiales, & independentes à materia, quamuis eam vere informant, alias vero esse materiales, itaque materiæ inhærentes, vt ab ea in esse & fieri pendeant. Prioris ordinis sunt solæ animæ humanæ (agimus enim tantum de formis informantibus) & de illis concedendum est consequens illarum in difficultate tacta, nimirum fieri ex nihilo per veram creationem, quod in proprio loco latius est ostendendum, aune satis sit dicere id necessario consequi ex principio



ipio posito, supposito quod hæc animæ non præexistunt antequam corporibus uniantur, quod certum est ex fide, & ex illo principio, quod sunt vere formæ corporis. Imo, licet præexistere, non possent nisi per creationem existere, quia non sunt entia necessaria ex se, & ex sua quidditate habentia esse, ut vniuersè demonstrabimus infra, parim in disputat. de causa efficiendi, partim demonstrando vnum tantum esse ens increatum. Si autem rationalis anima non haberet esse, nisi per efficientiam alterius, & fingitur esse ante corpus, quodammodo clarius & euidentius est, habere esse per creationem, quia facta est ex nihilo, & absque concursu subiecti, vel causæ materialis. Dico autem esse quodammodo clarius, quia nunc, dum expectatur dispositio corporis, ut anima fiat, videri potest non esse tam propria creatio, quia fit cum aliquo concursu materiæ. Nihilominus tamen est vera creatio, quia ex parte causæ materialis, in ipsum esse vel fieri animæ rationalis, sed est veluti quædam occasio exigens creationem illius animæ, sine qua occasione nec ipsi animæ debetur ut fiat, nec causa eius ad illius effectum determinaretur. Quod autem corpus, seu materia non influat per se in fieri, vel esse animæ, constat ex eo, quod anima rationalis separata à corpore, retinet suum esse: ergo non penderet à subiecto sustentante in suo esse: ergo neque in fieri, quia tale est fieri rei, quale est esse: ergo & de conuerso subiectum ipsum seu materia non habet per se influum in esse aut fieri talis animæ, nam hæc duo correlatiua sunt, vel potius idem, dependentia effectus & influxus causæ.

XI. Quocirca principium illud: *Ex nihilo nihil fit* vniuersè intellectum de omni causa, & de omni effectu falsum est, & contra rationem naturalem, ut hoc ipso exemplo animæ rationalis ostenditur, & exemplo etiam materiæ primæ, ut supra tactum est, & plurimè in sequentibus asseremus. Intellectum autem de virtute agentis finiti, & naturalis, verum est. Vnde quoad hanc formam, concedendum est non esse in proximis agentibus naturalibus virtutem ad efficiendam illam, sed proximum agens disponere materiam: intelligentiam vero separatam efficere formam non quidem intelligentiam creatam, ut putauit Auicenna, nec ideam separatam, & extra Deum existentem, sed Deum ipsum: quem solum esse effectorem rerum omnium, quæ per creationem fiunt, infra ostendimus.

XII. Dices, hinc fieri materiam primam non esse in potentia naturali ad animam rationalem, quod videtur inconueniens. Sequela patet, quia omni potestate passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis, sed nulla est potentia actiua naturalis, quæ possit formam hanc in materia efficere: ergo neque in materia est potentia passiuæ naturalis ad illam. Aliqui concedunt sequelam, tum propter rationem factam, tum etiam quia si materia non esset in potentia ad animam rationalem, cum sit hæc anima, diceretur educi de potentia materiæ. Sed non placet hæc sententia, nam si materia non esset in potentia naturali ad animam rationalem, generatio hominis non esset naturalis, quia neque ex principio actiuo, neque ex passiuo esset naturalis. Item quia materia naturaliter disponitur vltimate ad recipiendam formam rationalem: & illi sic dispositæ iuxta naturæ ordinem debetur talis forma: est ergo in potentia naturali ad illam. Ad difficultatem ergo respondetur, negando sequelam. Ad primam vero rationem respondetur naturalem potentiam primo & per se esse attendendam in ordine ad actum connaturalem & proportionatum: anima autem rationalis est actus naturalis, & proportionatus materiæ, & ideo etiam materia est potentia naturalis ad illum actum, vnde ex vtraque fit quoddam ens naturale per se vnum, & materia ipsa connaturaliter conseruatur sub tali

actu. Quod vero attinet ad potentiam actiuam, in primis dari potest potentia actiua naturalis ad vniendum talem actum tali potentia. & hoc modo iam respondet potentia actiua naturalis, potentia naturali passiuæ. Deinde quamuis hæc forma à solo Deo fieri possit; tamen Deus in ea actione operatur iuxta modum & ordinem naturis rerum debitum: & hoc satis est, ut dicatur operari per modum causæ naturalis, & ut potentia passiuæ sufficiens virtus actiua respondeat. Ad alteram rationem responderetur, aliud esse materiam continere formam in potentia, & aliud, esse in potentia ad formam, nam primum indicat vim cauendi formam, nam causa continet effectum in suo genere: secundum vero indicat solum capacitatem ad recipiendam formam. Materia ergo est in potentia naturali ad rationalem animam recipiendam, non tamen illam in potentia sua continet, cum non possit causare illam, ideoque anima rationalis non educitur ex potentia materiæ, quia nihil educitur nisi vnde continetur: & quia educitio indicat causalitatem materiæ in forma, ut iam dicemus.

Secundo de omnibus aliis formis substantialibus dicendum est non fieri proprie ex nihilo, sed ex potentia præiacentis materiæ educi: ideoque in effectione harum formarum nihil fieri contra illud axioma, *Ex nihilo nihil fit*, si recte intelligatur. Hæc assertio sumitur ex Aristotele 1. Physicorum per totum, & libro 7. Metaphys. & ex aliis authoribus, quos statim referam. Et declaratur breuiter, nam fieri ex nihilo duo dicit, vnum est fieri absolute & simpliciter, aliud est quod talis effectio fit ex nihilo. Primum proprie dicitur de re subsistente, quia eius est fieri, cuius est esse: id autem proprie, quod subsistit, & habet esse; nam quod alteri adiacet, potius est quod aliud est. Ex hac ergo parte, formæ substantiales materiales non fiunt ex nihilo, quia proprie non fiunt. Atque hanc rationem reddit Diuus Thomas 1. parte, quæstione 45. articulo 8. & quæstione 90. articulo 2. & ex dicendis magis explicabitur. Sumendo ergo ipsum fieri in hac proprietate & rigore, sic fieri ex nihilo est fieri secundum se totum, id est nulla sui parte præsupposita, ex qua fiat. Et hac ratione res naturales dum de nouo fiunt, non fiunt ex nihilo, quia fiunt ex præsupposita materia, ex qua componuntur, & ita non fiunt, secundum se totæ, sed secundum aliquid sui. Formæ autem harum rerum, quamuis re vera totam suam entitatem de nouo accipiant, quam antea non habebant, quia vero ipsæ non fiunt ut dictum est, ideo neque ex nihilo fiunt. Attamen, quia latiori modo sumendo verbum illud fieri, negari non potest: quin forma facta sit, eo modo quo nunc est, & antea non erat, ut etiam probat ratio dubitandi posita in principio sectionis; ideo addendum est, sumpto fieri in hac amplitudine, fieri ex nihilo non tamen negare habitudinem materiæ causæ intrinsece componentis id quod fit, sed etiam habitudinem causæ materialis per se causantis, & sustentantis formam quæ fit, seu consistit. Diximus enim in superioribus materiam & esse causam compositi, & formæ dependentis ab illa: ut res ergo dicatur ex nihilo fieri vterque modus causalitatis negari debet, & eodem sensu accipiendum est illud axioma, ut sit verum: *Ex nihilo nihil fit*, scilicet virtute agentis naturalis & finiti nihil fieri, nisi ex præsupposito subiecto per se concurrente, & ad compositum, & ad formam, si vtrumque suo modo ab eodem agente fiat. Ex his ergo recte concluditur, formas substantiales materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex materia, quæ in suo genere per se concurrat, & influat ad esse, & fieri talium formarum; quia, sicut esse non possunt nisi affixæ materiæ, à quâ sustententur in esse: ita nec fieri possunt, nisi earum effectio, & penetratio in eadem materia sustentetur. Et hæc est propria & per se differentia inter effectiorem ex nihilo, & ex aliquo,

XIII. Forma substantiales omnes, rationales excepta ex subiecto præiacente fiunt.



aliquo, propter quam, vt infra ostendemus, prior modus efficiendi superat vim finitam naturalium agentium non vero posterior.

XIV. Ex his etiam constat, proprie de his formis dici non creari, sed educi de potentia materię, & quid sit educi de potentia materię, in quo explicando multi laborant, tum in 1. Physic. tum in 7. Metaph. Sed vtrūque breuiter declarauit D. Thom. 1. part. quęst. 90. artic. 2. ad secundum. Nam cum illę formę non fiant ex nihilo, non creantur: quia creari est fieri ex nihilo. Cum autem illę formę in potentia materię contineantur, & per actionem agentis quali extra illam potentiam fiant, non quod extra materiam existant, eiusque potentiam non actuent, & illi adhęreant, sed quod, cum antea tantum continerentur in potentia, & in causa, postea sunt actu, & extra causam: & ita ex esse potenciali materię, in qua continebantur, in actum educuntur virtute agentis, concurrente eadem materia. Dices: Ergo eadem ratione dicentur res educi de potentia agentis, quia etiam in ea continebantur virtute & potestate: & ex hoc esse in potentia educuntur in actum per actionem ipsius agentis. Respondetur: absolute negando sequelam quia illa verba in omni proprietate significant habitudinem causę materialis, & non efficientis. Itaque tam efficiens quam materia potest dici continere effectum, diuerso tamen modo: nam agens continet eminenter seu virtualiter, materia vero solum in potentia receptiua seu passiua: cum ergo dicitur forma educi de potentia materię, peculiariter denotatur hęc habitudo materialis causę: agens vero, proprie dicitur per virtutem suam educere effectum de potentia in actum.

XV. Secundo.

Aliter etiam explicari solet, quid sit educi formam de potentia materię, nimirum, quod sit fieri in materia cum dependentia ab illa in esse, & fieri: quod conuenit omnibus formis substantialibus, excepta rationali. Quę explicatio solis verbis differt a precedenti, nam (vt supra dicebam) materiam continere in potentia sua causalitatem, seu vim cauſandi importat ex parte materię in suo genere: formam ergo trahi, aut fieri extra potentiam materię: in qua contineatur, nihil aliud est, quam fieri actu in materia, concurrente materia ipsa in suo genere per potentiam suam ad fieri & esse talis formę: sed hoc ipsum est fieri formam cum dependentia materię in fieri, & in esse: solumquę est diuersus modus explicandi per habitudinem effectus ad causam, vel e contrario per habitudinem causę ad effectum. Alia item explicatio occurrit, quę licet rem diuersam a precedentiibus non contineat, tamen eam magis declarat, & apta est ad nonnullas difficultates insurgentes explicandas. Formam ergo educi de potentia materię, est fieri eadem actione, qua fit compositum ex materia precedente, quę per illam actionem non fit, quam expositionem videtur intendisse Diuus Thomas cum dixit: formam non creari, sed educi, quia non est ipsa quę per se producit, sed compositum, forma vero comproducit ex præiacente materia. Et inductione constat ita fieri in omnibus formis quę educuntur ex potentia materię. Ratio verò reddi potest, quia educio in hoc consistit, quod sit actio vel mutatio per se & essentialiter pendens a materia: per hanc autem actionem simul forma fit, & vnitur materię: ideoque per eandem fit per se primo compositum, & comproducit talis forma, fitque actu extra potentiam materię: ergo educio formę de potentia materię optime per illam actionem declaratur.

Corollaria ex precedenti resolutione.

Atque hinc primo intelligitur amplius, quod supra dicebamus, formam rationalem non educi de potentia materię, quia nec continetur in potetia illius, vt extra ipsam educatur, neque fit, aut existit dependentē a materia, neque fit eadem actione, qua fit compositum, seu qua ipsa vnitur materię: prius enim, saltem natura, in se fit, & accipit esse suum independentē a materia, & postea alia actione vnitur, qua totum compositum generatur.

Secundo expeditur ex dictis alia difficultas, quę hic occurrebat de formis celestibus, an scilicet dici possint educę de potentia materię: nam iuxta priores interpretationes videbatur ita esse affirmandum, nam illę formę pendunt in fieri & esse a sua materia: ergo educuntur de potentia illius, nam si pendunt in fieri, & in esse: ergo causantur a materia: ergo continentur in potentia eius: ergo, cum actiunt, educuntur ex potentia eius. Nec satis est respondere, illas formas non fieri, sed confieri cum compositis, quia etiam formę rerum generabilium non fiunt, sed confiunt, & nihilominus dicuntur educi propter dictam dependentiam, & continentiam. Dicendum vero est cum communi sententia, illas formas vere non educi, quia vbi non est totius compositi generatio, nec potest esse formę educio. Ratio autem a priori est, quia, vt supra tactum est, vnica est actio, qua cœlum secundum se totum producit, & non solum forma, sed etiam materia fit, quę actio est integra, & perfecta creatio totius, & concreatio materię & formę, & ideo ibi non est educio de potentia materię. Cum ergo dicitur forma educi, quę pender in fieri & esse a materia intelligitur, quando ad ipsam formam, vel ad formale esse quod per illam communicatur, tendit proprium fieri & propria actio, quę ita materiam præsupponit, vt per eam materia non fiat. Et si similiter, cum dicitur educi forma de potentia materię, quia in potentia eius continebatur, supponitur materia prius existens in potentia ad formam, quam illam actu habeat: materia autem cœli, licet sit potentia ad suam formam, postulat ex natura sua vt non sit in potentia ad illam, quia hoc esse in potentia includit priuationem.

### SECTIO III.

An in educatione substantialis forma oporteat materia tempore antecederet.



Ecce difficultas nascitur ex precedenti resolutione, eiusque cognitio est necessaria ad comprehendendam amplius huiusmodi formę originem, seu educationem. Explicaturque optime difficultas in formis elementorum, sub quibus hęc materia generabilium creata est, cum primum fuit producta, de quib. quęritur, an fuerint educę de potentia materię. Quibusdam enim videtur, idem esse iudicium de his formis, & de formis celestibus, quia etiam elementa tunc non fuere genita, sed creata: ergo formę eorum non fuere educę, sed concreatę. Item, quia materia nunquam fuit in potentia ad illas formas, quia semper fuit actu sub illis, ergo non fuerunt educę, quia, vt dicebamus, educio ex proprietate verbi dicitur habitudinem ad subiectum quod prius erat in potetia. Item, in illo initio per eandem actionem, qua fuit creata terra, fuerunt simul concreatę materia & forma eius: ergo ibi non est educio. Tercio, cum creatur angelus, vel anima, non educuntur potentia eius ex capacitate subiecti, quia concreantur: ergo multo minus dicuntur educi formę substantiales, quę concreantur cum qualibet materia. Quarto, cum creatur angelus, non edu-